Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0002-6

8841

1764,40

DE
# OBLIGATIONE PAROCHIANORVM AD REFICIENDA AEDIFICIA ECCLESIASTICA EXERCITATIO

QVAM
PERMITTENTE
MAGNIFICO ICTORVM ORDINE
PRAESIDE
D. DAVID GOTHOFREDO AEGIDIO
WILKE
D. XXVII. IVLII A. O. R. CIƆIƆCCLXIV.
IN AVDITORIO PETRINO
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTET
GEORGE FRIDERICVS AYRER
CHEMNICENSIS MISNICVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0003-2

ILLVSTRI,
MAGNIFICO, SVMME REVERENDO
ATQVE
CONSVLTISSIMO DOMINO

# DOMINO
# CAROLO FERDINANDO
# HOMMELIO

ICTO CELEBERRIMO
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO
AVLAE ET IVSTITIAE ACTVALI, ECCLESIAE
CATHEDRALIS MARTISBVRGENSIS CAPITVLARI, SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ASSESSORI INTER
DOCTORES PRIMARIO, DECRETALIVM PROFESSORI
PVBLICO, COLLEGII ICTORVM ORDINARIO ET
DECANO PERPETVO, ACADEMIAE LIPSIENSIS
DECEMVIRO ET CONSVLTORI

PATRONO OPTIMO
SACRVM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0005-3

Ignoſce, VIR ILLVSTRIS atque MAGNIFICE, quod nomen TVVM ſplendidiſſimum, huic exiguo libello inſcribere, eique et decus et auctoritatem conciliare auſus ſum. Poſtulabat vero inſignis TVA in me beneficentia, gratiſſimi animi ſignificationis argumentum quoddam publicum. Si enim in memoriam reuoco, beneficiorum TVORVM in me collatorum magnitudinem, ſi TVAM in ſtudiis meis adiuuandis voluntatem perpendo, non in rependendis his bonis, ſed et recenſendis me plane imparem ſentio. Quare hanc tenuem opellam TIBI ea mente non offero, vt me verbis et ſcriptura liberem, qui re TIBI ſum obnoxius, ſed vt in reuerentiae atque pietatis in TE meae pignus illam accipias. Tanta enim cum ſit TVAE celebritatis etiam apud exteros fama, qui literatiſſimus ipſe atque elegantiſſimus noſtri aeui ICtus, omnibus illis bene cupis, qui inter literarum et ſcientiarum cultores nomen profitentur ſuum; ita mihi etiam ex ampliſſima TVA eruditione proficere licuit, TVAMque facilitatem, comitatemque pereximiam innumeris teſtimoniis compertam habeo. Cuius praeterea fidei atque tutelae has meas lucubrationes potius commendarem, quam TVAE, VIR ILLVSTRIS atque MAGNIFICE, qui mihi cauſam ſcribendi ſuppeditaueras. Accipe itaque PATRONE OPTIME,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0007-5

*haec dona, non magnitudine ſed affectu cenſenda, ea beneuolentia, quae TIBI innata eſt, et qua me ipſum ſemper excepiſti, imo enixe rogo, vt hos meos qualescunque labores aequi bonique conſulere digneris. Seruet TE Numen benigniſſimum, ſeruet Senes Venerabiles, vtrumque Patrem Illuſtrem et Magnificum, ſeruet vniuerſam gentem TVAM Ornatiſſimam, in Academiae noſtrae, totius orbis literati, et omnium bonorum praeſidium et ſolatium ſempiternum. TVA vero beneuolentia, TVO fauore, quo nihil iudico praeſtantius, TVOque patrocinio et in poſterum complectere*

VIR

ILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE

NOMINI TVO CELEBERRIMO

Dabam Lipſiae
d. XXV. Iul.
A. O. R. cIↃIↃCCLXIV.

ADDICTISSIMVM
DAVID GOTHOFREDVM AEGIDIVM WILKE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0008-1

Q. F. F. S.

DE

# OBLIGATIONE PAROCHIANORVM, AD REFICIENDA AEDIFICIA ECCLESIASTICA.

## PROEMIVM.

Non dubito, fore nonnullos, qui hanc materiam ſcribendi, ſi non prorſus inutilem, tamen vbiuis obuiam, diu pertractatam et omnino exhauſtam exiſtiment, quibus Illuſtris BOEHMERI exquiſita diſſertatio de Iure et onere reficiendi eccleſias, ante oculos verſatur, ita, vt ne quidquam ſuperſit, quod tanquam omiſſum ſuppleri, aut excogitari forſan poſſit, quod noui ſpeciem prae ſe ferre videretur. Neque enim me fugit, egregios, ſolidiorisque eruditionis ante me extitiſſe viros, puto ZIEGLERVM,[a]) PETRVM PECKIVM,[b]) VLRICVM



a) de dote eccleſiae.

b) de ſacroſanctis et catholicis Chriſti eccleſiis reperandis ac reficiendis.

RICVM MARBACHIVM, c) ANDREAM FLORENTEM RIVINVM, d) quos inter Illuſtrem Boehmerum tamen non vltimo loco ponendum eſſe cenſeo, cuius, aliorumque ſcripta mea laude carere facile poterunt, quoniam communi orbis literati ſuffragio autoritatem firmam ſtabilemque conſecuta fuere. Sicut vero non raro euenire ſolet, vt non ſemper nouas opiniones et inauditas ſententias proferre poſſimus, ſaepiuſcule vero nouus titulus libelli, veterem ad nauſeam vſque pertractatam materiam ſiſtat, ſedulo cauendum, ne duplici vitio abrepti, aut nimis ſingulari, quae riſum mouet, vtamur ſpecie, aut adeo vulgarem ſcriptis noſtris tribuamus formam. Si vero dicendum quod res eſt, in tam copioſa, tantaque diuerſarum rerum abundantia, quae ſcribendi cauſam ſuppeditant, plures vix reperies, de qua non vnus vel alter, ſiue incidenter ſiue ex profeſſo verba fecerit. Quodſi vero citatum Boehmerum non deterruere anteceſſorum eruditorum, de iure et onere reficiendarum eccleſiarum edita ſcripta, qui quidem Petri Peckii, magnae exiſtimationis ICti libello: de ſacroſanctis et catholicis Chriſti eccleſiis reparandis ac reficiendis, ductus, cauſam ſcribendi et corrigendi ampliſſimam inuenerat; excuſationis tamen veniam et me impetraturum fore confido, licet rem nouam non adgrediar, materiam tamen, infinitis ICtorum diſputationibus diutiſſime agitatam, adhuc tamen dubiam, publice profiteri audeam. Equidem putaui, rem dubiam, quam complures, iique ſolide eruditi viri longa atque diuturna diſceptatione componere tentarunt, ita fieri certam, adeoque deciſam, vt nunquam de ea controuerſia quaedam moueri poſſit. Sed quid mirum, tam diuerſas ICtorum opiniones, innumeras litigandi praebere occaſiones, cum diſſenſus iudicantium non raro ſorte, ſeu pluralitate ſuffragiorum dirimatur. Vt vero lectoribus meis inſtituti mei rationem reddam, quo ſcilicet conſilio hanc ſcribendi materiam mihi

c) de ſubſidiaria eccleſiarum reparatione. Argent. 1702.
d) de immunitate forenſium ab onere reficiendi aedificia eccleſ. Witt. 1745.

mihi ſumſerim, ingenue fateor, ex inſigni in me beneuolentia Illuſtris HOMMELII, ICtorum Ordinarii Celeberrimi, ad manus veniſſe Reſponſum Illuſtris facultatis Lipſienſis, nuperrime datum, quod vberioris diſquiſitionis graue argumentum eſſe mihi videbatur. Iudicent igitur in arte periti, qua in parte minus accurate verſatus fuero, non illi enim promtius me monebunt errantem, quam ego monentes ſequar. Non enim ſpeciminis loco hanc confeci diſſertatiunculam, ſed officii ratio a me poſtulat, vt publica, eaque ſolemni diſputatione, locum inter Doctores noſtros rite conſequar. Quare mihi forenſi ſtrepitu pro virium mearum modulo ſatis occupato, aequi iudices, ſi quid minus recte prolatum fuerit, condonent. Triplex autem diſputationis ratio ex triplici controuerſia oritur, I.) vtrum ciues ad reparationem aedificiorum eccleſiaſticorum operas equeſtres et manuales praeſtare debeant? II.) An praeſcriptio legitima, et immemorialis, ab hac obligatione ciues reddat immunes? III.) denique vtrum poſſeſſores feudorum, et praediorum ab oneribus publicis immunium, conferre teneantur nec ne? Ad haec omnia optime reſpondet ſententia magnifici ICtorum Ordinis, infra a me allata. Quo fauorabilior vero eccleſiarum cauſa in iure noſtro eſſe ſolet, quo magis earum ſacerdotes liberalitatem in dotandis eccleſiis ſuadent, cum ipſi in contemtu auri et argenti omnem felicitatem ponendam eſſe praedicent, eo cautius mihi erit procedendum, ne, ſi forſan illis quidquam abiudicem, eccleſiae, earumque miniſtris ſarta tecta abſtuliſſe, religionisque contemtor eſſe videar.

## §. I.

De obligatione Parochianorum quaedam dicturi, ante omnia de deſcriptione eorum, atque origine ſimus ſolliciti: Ita enim dicti ſunt a Parochiis, quibus erant adſcripti. Qui vero Graecarum litterarum interpretes in conſilium vocat, intelligit, vocem Parochiae eſſe barbaram et minus vſitatam; deſcendere

enim ex graeco vocabulo παροικία, indeque rectius verti Paroecia, CAROLVS DU FRESNE, [e]) aliique obſeruarunt. Paroecia vero Graecis idem erat quod accolarum conuentus, ſeu habitatio, aut cura; quoniam Rector eccleſiae curam habebat animarum totius populi intra illos limites congregati. Antiquitus quidem Parochiae diſtinctae non erant, ſed Epiſcopi omnes dicebantur totius dioeceſis animarum curam habere, et omnes illius decimas percipiebant. Cum vero augeretur populus chriſtianus, DIONYSIVS PAPA [f]) ita ſanxit: Singulas eccleſias ſingulis presbyteris dedimus, parochias et coemeteria eis diuiſimus, et vnicuique proprium ius habere ſtatuimus, ita videlicet, vt nullus alterius parochiae terminos, aut ius inuadat: ſed ſit vnusquisque ſuis terminis contentus, etc. Exinde vnaquaeque Parochia dicta fuit locus, in quo degit populus alicui Eccleſiae deputatus, certis finibus limitatus, proprium habens Rectorem et Parochum. Diuerſimode vero appellabantur Parochiarum cuſtodes ſiue ſacerdotes. A Parochiis enim, teſte BVDAEO, et S. AVGVSTINO [g]) Parochi ſiue Paroeci nomine vtebantur, qui quidem olim apud Ethnicos proprie illi dicebantur, qui legatis publice Romam miſſis ſalem et ligna praeparabant, hoc eſt, qui omnium rerum copiam legatis Regum, Principum, ac populorum hoſpitio receptis ſuppeditabant, autore HORATIO [h]) - - - et *Parochi, qui debent lingna ſalemque.* Vnde exiſtimant quidam, inſtar horum dictos eſſe Parochos in eccleſia, eo quod ſint ſacerdotes, auctoritate Epiſcoporum Eccleſiis praefecti, vt plebibus, ſiue populis ſacrum diuini verbi et ſacramentorum pabulum ad paſcendos animos ſubminiſtrent. Saepiuſcule etiam inuenies vocem Curati, a cura, quam de regendis ouibus ſuſcepe-runt,

e) Voce Parochus.

f) C. XIII. qu. 1. iunct. c. 9. X. de his, quae fiunt a Praelato ſine conſenſu capituli.

g) L. 14. de ciuitat. Dei.

h) Sermon. Lib. 1. ſatyra 5.

runt, vſurpatam, quod PAVLLI MERVLAE [i]) teſtimonio illuſtratur: Septimum, inquientis, locum obtinebant Curiones, qui XXX numero de Curiis praeſidebant, a Romulo inſtituti. Is enim, quum populum Romanum in tres tribus, et XXX curias diſtribuiſſet, ſingulis curiis praepoſuit vnum aliquem virum, quem Curionem dixit, qui ſacra pro curia ſua curaret. Ab his Curionibus hodie paſſim per Galliam appellantur *Curés*, Paſtores ſingularum Parochiarum. Curionia autem ſacra FESTO [k]) ſunt, quae in curiis fiebant, et curionum aes, quod dabatur curioni ob ſacerdotium Curionatus. Quin imo ROSINVS [l]) his vtitur verbis: Hoc quoque addere viſum eſt, curias Romae fuiſſe populi tales quasdam partes, quales ſunt noſtro tempore in vrbibus quibusdam parochiae. Vt enim noſtrae parochiae habent deſtinatas quasdam aedes et domus, in certa quadam vrbis parte ſitas, quae communia ſacra, ipſam aedem communem, et ſacrorum communem miniſtrum, id eſt, parochum habent: ita curiae erant incolarum vrbis partes, non modo loco, ſed etiam ſacris ſibi peculiaribus diſtinctae, quibus qui praeerant, Curiones vocabantur. Exinde fluit Parochianos eſſe perſonas laicas, certo parocho et eccleſiae addictas, obligatas ad hoc, vt in illa eccleſia a parocho ſacra, et quae huc vulgo referuntur, percipiant, et onera parochialia ſubeant. Sunt vero parochiani vel in loco eccleſiae parochialis, vel extra locum, qui filialiſtae vocantur, ideo dicti ab eccleſia matre et filia. Praemiſſis igitur iis, quae ad rem noſtram facere videbantur, iam paullo propius conſideremus, qua ratione parochianis onus fuerit impoſitum reficiendi aedificia eccleſiaſtica.

## §. II.

In eo quidem diutius commorandum eſſe non cenſeo, ex quo tempore vera eccleſiarum origo petenda ſit, illud certe conſtat,

i) de ſacerdotio Romanorum cap. 2. §. 7.
k) Libr. III.
l) Antiqu. Rom. L. VI. c. 2.

ſtat, temporibus Conſtantini M. Chriſtianis libertatem religionis fuiſſe reſtitutam, cum antea in latebris atque locis abditis Deum colerent. Et ex eo tempore etiam, quo Principem liberaliorem et in dotandis eccleſiis profuſiorem, poſteritas vix vllum habuit, bona parochialia indies creſcere coeperunt. Narrat enim EVSEBIVS m) in vita Conſtantini M.: Quin etiam eccleſiis Dei plurima ex theſauris beneficia ſubminiſtrauit, partim ſacras aedes amplificans, et in ſublime erigens, partim anguſta eccleſiarum ſacraria plurimis donariis exornans. Et in alio loco n): Altera lex, oratoriorum fabricam in ſublime erigi, et eccleſias Dei tam latitudine quam longitudine ampliores effici praecipiebat; Illud praeterea lex continebat, ne pecuniis largiendis parcerent, ſed vt ex imperialibus theſauris ſumtus ad aedium ſacrarum exſtructionem depromerentur. Primitiuae itaque eccleſiae facies tum demum maximopere immutata fuit, ex quo illae dotatae, et certa ſtipendia miniſtrantibus conſtituta fuere. Inualuerat enim poſtea mos, vt ille, qui nouiter templum aedificaret, etiam tam largam porrigeret dotem, vt ex ea ſarta tecta conſeruari poſſet, et quod antea liberalitatis fuerat, illud neceſſitas quaſi efflagitabat. Quare IVSTINIANVS o) ita diſpoſuit: Deinde non aliter quempiam eccleſiam ex nouo aedificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem Epiſcopum, et definiat menſuram, quam deputat, et ad luminaria, et ad ſacrum miniſterium, et ad incorrumpendae domus cuſtodiam, et obſeruantium alimenta: et ſi ſufficienter habere videtur, faciat prius donationem eorum, quae futura ſunt deputari, et ita domus aedificetur. Et ſecundum gloſſam tribus modis ius Patronatus acquirebatur:

*Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.*

Ita

m) Lib. I. c. 42.

n) Lib. II. c. 45.

o) Nouell. Conſtit. LXVII. c. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0014-3

Ita etiam nemini erat permiſſum eccleſiam aedificare, niſi ex voto religionis, ſecundum diſpoſitionem Concilii Bracharenſis: p) Si quis baſilicam non pro deuotione fidei, ſed pro quaeſtu cupiditatis aedificat, vt quicquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum clericis diuidat, eo quod baſilicam in terra ſua quaeſtus cauſa condiderit, (quod in aliquibus locis vsque modo dicitur fieri) hoc de caetero obſeruari debet, vt nullus epiſcoporum tam abominabili voto conſentiat, nec baſilicam, quae non pro ſanctorum patrocinio, ſed magis ſub tributaria conditione eſt condita, audeat conſecrare. Cum vero non raro euenire ſolebat, vt miniſtri eccleſiae non tantum, et qui in ſacris peragendis omne vitae tempus conſumſerant, ſed complures egeni et pauperes, ſibimet ipſis vitae neceſſaria comparare non poſſent, dos vero eccleſiae conſtituta, non ſemper ſufficiens putaretur, alio modo eccleſiis erat proſpiciendum. Facillime igitur per collectas, et contributiones voluntarias neceſſitati illorum erat ſubueniendum. Quare diebus dominicis et feſtiuis primis illis temporibus, laicos raro ſine donis et muneribus acceſſiſſe, nec pecuniam tantum, ſed panem etiam, vinum, aliaque, quae eſui erant, imo et res mobiles diſpenſauiſſe, teſtatur ZIEGLERVS. q) Et quidem ſolemne quaſi tunc temporis erat, res donatas eccleſiae vel traditas, aut ſaltim earum inſtrumenta altari imponere, quae quidem dona, et collationes, fidelium oblationes appellare ſolebant. Ita enim eas deſcribit BARBOSA r): Oblationes dicuntur res illae, quae intuitu religionis immediate Deo ab hominibus, absque immolatione exhibentur, vt ſcilicet vel in vſum eccleſiae, vel in vſum miniſtrorum cedant. Tres vero memorantur praeſertim oblationum ſpecies, et prima quidem dicitur donatio rei inter viuos facta Deo et eccleſiae. Altera donatio mortis

p) C. X. de Conſecratione, diſtinct. 1.
q) de dote eccleſiae.
r) de officio et poteſtate Parochi c. 24.

tis cauſa appellatur, et praeſertim pro animae redemtione offerre ſolebant, prout colligitur ex diſpoſitione Iuris Canonici: [s]) Valde iniuſtum et ingens ſacrilegium eſt, vt quaecunque vel pro remedio peccatorum, vel ſalute, vel requie animarum ſuarum vnusquisque venerabili eccleſiae contulerit, aut certe reliquerit, ab iis, quibus haec maxime ſeruari conuenit, id eſt, Chriſtianis, et Deum timentibus hominibus, et ſuper omnia a principibus, et primis regionum in aliud transferre vel conuerti permittatur. Propterea, qui haec non praeuiderit, et aliter quam ſcriptum eſt, praedia eccleſiis tradita petierit, vel acceperit, aut poſſederit, vel iniuſte defenderit, aut retinuerit, niſi cito ſe correxerit, quo iratus Deus animos percutit, anathemate feriatur: ſitque accipienti, et danti et poſſidenti anathema, et inſtitutae poenae contubernium aſſiduum. Tertia vero oblationis ſpecies, Vſualis nomine veniebat, et erat illa, quam faciebant fideles, dum altari imponebant, vel in manum ſacerdotis conferebant. Legitur de ea, in Conſtitutione Honorii III [t]): Verum quia poſtmodum ſacerdos praedictae capellae adſerens oblationum nomine minime contineri ea, quae ipſi capellae in feſtiuitate omnium ſanctorum mittuntur, vel portantur ad illam, ſeu ad domum ſacerdotis eiusdem intuitu defunctorum: nec non, quae in criminali ponuntur, quod de altari ſuſcipit, et facit per eccleſiam deportari, et quae ante crucem, et in miſſa trinitatis, et ea quae pro deſponſatis dantur, et lampades cum oleo, quae praedictae capellae ab aliquibus offeruntur, vel quae dantur nuncio, qui ad recipienda talia per praefatae capellae parochiam deſtinatur, de his omnibus vobis tertiam partem denegans exhibere, de aliis nomine tertiae partis perſoluendis pro rata veſtram eccleſiam contingentis retinere nitebatur ad expenſas capellae ipſius neceſſarias faciendas: At capellani praedictae capellae dicentes primitias et decimas, vel ea, quae offeruntur pro miſſis mortuorum, ſacerdotibus, et

quae

s) C. XII. qu. 2. c. indigne 21.

t) c. cum inter 29. X. de Verborum ſignificatione.

quae pro ſeptimis, et triceſimis et anniuerſariis, panes et alia, quae intra hebdomatam offeruntur, et mortuorum iudicia, oblationum nomine minime contineri: de his omnibus tertiam partem ſoluere vobis nolunt. Volumus igitur et mandamus, vt per veſtrum clericum a vobis in eadem eccleſia inſtitutum, de omnibus ſupradictis et aliis oblationibus quocunque titulo ad eccleſiam peruenerint, ſiue diminutione aliqua integre tertia votis portio perſoluatur. Accedebant huc, et accreſcebant eccleſiis decimae atque primitiae, quae in praeſtatione ex prouentibus fundorum conſiſtebant, numerumque bonorum eccleſiaſticorum maximopere augebant. Euoluendus et perlegendus, qui de his fuſius tractat totulus titulus, X. de decimis, primitiis et oblationibus.

## §. III.

Sicut vero in hoc primaeuo ſtatu eccleſiae, tantum res mobiles, et quae ad victum et amictum pertinebant conferebantur, nec durante perſecutionum aeſtu, temporum illorum conditio eccleſiae permittebat, vt praedia et fundos poſſideret; temporibus tamen Conſtantini M. etiam immobilibus bonis eccleſiae coeperunt abundare. Nam ipſi Clerici omnibus mediis opportunis eccleſiarum opes augere cupiebant, ita vt ſaepius plus iuſto procederent. Deſcribit hoc PAVLVS SARPIVS [u]) quam elegantiſſime, quem locum e Boehmero deſumtum hic lubet apponere: *Or comme la grande devotion des Princes et des Peuples fût cauſe, que les biens eccleſiaſtiques s' augmenterent beaucoup, elle excita auſſi dans les clercs un extreme deſir de les multiplier, & ceux meme, qui avoient les meilleures intentions, ne furent pas exemts de ce defaut. Car voiant que la diſtribution de ces biens tournoit à la gloire de Dieu, & à l'utilité commune, ils concluoient, que plus l' egliſe auroit de quoi diſtribuer, tout en iroit mieux; et ils mettoient toute leur induſtrie à faire de nouvelles acquiſitions, ſans conſiderer, ſi la maniere, dont ils ſe ſervoient, etoit conforme à l'equité*



u) traité des benefices art. 6.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0017-1

*l' equité & à la raiſon. Et pourvû qu'ils arrivaſſent à leur bût, c' eſt à dire, que l' Egliſe s' enrichit, par quelque voie que ce fût, ils croioient avoir fait un ſacrifice à Dieu. Et c'eſt ainſi, que naiſſent mille maux incurables de ces zelez indiſcrets, qui s' imaginant, que tout ce qui ſe fait en vuë de la religion; de quelque façon que ce ſoit, eſt toujours bon, agiſſent tres ſouvent contra la juſtice & l' humanité & mettent le monde en combuſtion. C' eſt ce qui arriva dans le tems, que l'egliſe commença d'avoir la permiſſion, d' acquerir de biens immeubles. Quelque religieux croioient, qu' il etoit du ſervice de Dieu d' ôter le patrimoine aux enfans de famille, pour le donner aux Egliſes, et dans cette penſée ils n' oublioient rien, pour inciter les veuves, les filles, et les autres perſonnes faciles & foibles à depouiller leurs parens, pour laiſſer tout à l' egliſe.* Inde bonorum parochialium acquiſitiones per vltimam voluntatem frequentiſſimae fuere, ideoque talis diſpoſitio, quae ſaltim coram parocho et duobus teſtibus pronuntiata fuerat, valida exiſtimabatur, per reſcriptum ALEXANDRI III. v) Relatum eſt, quod cum ad veſtrum examen ſuper relictis eccleſiae cauſa deducitur, vos niſi ſeptem vel quinque idonei teſtes interuenerint, inde poſtpoſitis iudicare. Mandamus, quatenus cum aliqua cauſa talis ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundum leges, ſed ſecundum decretorum ſtatuta tractetis, tribus aut duobus legitimis teſtibus requiſitis: Quoniam ſcriptum eſt, in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum. Minus recte vero Boehmerus ex hoc ipſo canone euincere conatur, etiam absque omnibus teſtibus tale teſtamentum celebratum, poſſe conſiſtere. Quum vero eo tempore Clerici vt maxime communi vterentur conuictu, inualuerat tamen poſtmodum diuiſio vniuerſorum eccleſiae redituum in quatuor partes, ita vt prima cederet Epiſcopo, ſecunda Clericis, tertia pauperibus, et quarta fabricae ipſius eccleſiae, vt ſarta tecta conſeruari poſſet.

v) c. 11. X. de teſtamentis et vltim. volunt.

poſſet. Ita enim ſcribit GELASIVS Pontifex x). Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quid ad cauſas, vel expenſas accidentium neceſſitatum opus eſſe perſpicitur, vt de medio ſequeſtretur; et quatuor portiones, vel de fidelium oblatione, vel de hac fiant modis omnibus penſione, ita, vt vnam ſibi tollat antiſtes, aliam clericis pro ſuo iudicio et electione diſpertiat, tertiam pauperibus ſub omni conſcientia faciat erogari: fabricis vero quartam; quae competit ad ordinationem pontificis, erogatione veſtra decernimus eſſe penſendam. Notat hoc in loco Zieglerus Marcum Antonium de Dominis, quippe qui exiſtimat; ex omnibus reditibus eccleſiaſticis plurium eccleſiarum totius dioeceſis conſtitutam fuiſſe vnicam maſſam illius eccleſiae matricis, et tum demum diuiſionem factam fuiſſe; cum potius Zieglero videatur, vnumquamque eccleſiam particularem cuiuscunque dioeceſeos, vti ſeorſim ſuum habuit patrimonium, ita etiam ſeorſim ex iſto patrimonio, ſuas accepiſſe ab Epiſcopo portiones; et huic opinioni etiam verba Gelaſii pontificis innuunt: prout cuiuslibet eccleſiae facultas admittit. Neque ab ea ſententia recedit PAVLVS SARPIVS: y) *Il ne faut pas croire, que cette diviſion fût en quatre parties arithmetiques & égales, mais bien avec proportion. Car le nombre des Clercs dans quelques Egliſes requéroit une portion plus forte, que celle des pauvres, au lieu que c'étoit le contraire dans les autres, ou il y avoit beaucoup de Pauvres & peu des Clercs, & comme dans les grandes Villes la depenſe de la fabrique étoit plus grande, que dans lespetites, chaque Egliſe, qui acceptoit le decret de partager en quatre, faiſoit cette diviſion avec une proportion differente, ſelon la difference du beſoin.* Per fabricas autem intelliguntur baſilicae, ſiue ipſae eccleſiae, quemadmodum in Codice Theodoſiano z) haec appellatio



x) C. XII. qu. 2. c. 23.

y) trait. des benefices art. 7.

z) L. 13. de praetoribus, et L. 12. de operibus publicis.

ſimpliciter poſita, de operibus publicis vſurpatur. Hoc loco vero quarta fabricarum nihil aliud eſt, quam quarta reficiendis aedibus ſacris deſtinata.

## §. IV.

Auctis eccleſiarum diuitiis, maximopere opus erat, vt earum prouentus ſecundum diuiſionem factam, vnicuique aſſignarentur; quare Epiſcopo adminiſtratio omnium bonorum parochialium demandabatur, nam GRATIANVS [a]) ita diſpoſuit: Praecipimus, vt in poteſtate ſua Epiſcopus res eccleſiae habeat. Si enim animae hominum pretioſiores illi creditae ſunt, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per presbyteros et diaconos, et cum Dei timore et omni ſollicitudine miniſtrentur. Sed quod vix credendum, epiſcopos eo tempore extitiſſe, qui res eccleſiaſticas ipſorum fidei commiſſas ſibi explicare et in vſus ſuos conuertere coeperunt. Tertiam enim et quartam partem bonorum parochialium, ad ſuſtentationem pauperum, et refectionem eccleſiarum deſtinatam, ſibimet ipſis vindicabant. Non ſolum Harduinus in Concilio Toletano IV. hanc clericorum auaritiam maximopere vituperat his verbis: Auaritia radix cunctorum malorum, cuius ſitis etiam ſacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Chriſti et martyrum in parochiis epiſcoporum baſilicas conſtruunt, oblationes conſcribunt: ſacerdotes haec auferunt, atque in ſuos vſus conuertunt. Inde eſt, quod cultores ſacrorum deficiant, dum ſtipendia ſua perdunt. Inde labentium baſilicorum ruina non reparantur, quia auaritia ſacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re conſtitutum eſt a praeſenti concilio, epiſcopos ita dioeceſes ſuas regere, vt nihil iure praeſumant auferre. Imo etiam GRATIANVS [b]) edicto epiſcoporum licentiam atque iniuriam cohibuit: Placuit, vt, nul-

a) C. XII. qu. 1. c. 24.

b) C. X. qu. 3. c. 1.

nullus Epiſcoporum per ſuas dioeceſes ambulans, praeter honorem cathedrae ſuae, id eſt, duos ſolidos, aliud aliquid per eccleſias tollat: neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi in eccleſiis parochialibus requirat: ſed illa tertia pars pro luminaribus eccleſiae vel reparatione ſeruetur, et ſingulis annis epiſcopo inde ratio fiat. Nam ſi tertiam partem illam epiſcopus tollat, lumen et ſarta tecta abſtulit eccleſiae. Neceſſitatis igitur erat, vt effrenata auri et argenti libido certis limitibus circumſcriberetur, quod etiam factum per Concilium Chalcedonenſe, a GRATIANO c) repetitum: Quia in quibusdam eccleſiis, ſicut ad nos peruenit, ſine oeconomo epiſcopi res eccleſiaſticas tractant; placuit omnes eccleſias habentes epiſcopos, etiam oeconomum habere de proprio clero, qui gubernet eccleſiae res cum arbitrio ſui epiſcopi, vt non ſine teſtimonio ſit gubernatio ipſarum rerum eccleſiaſticarum, et ex hoc eueniat, res eiusdem eccleſiae diſpergi, et ſacerdotali dignitati obtrectatio generetur. Si vero quis hoc non obſeruauerit, diuinis ſubiaceat regulis.

## §. V.

Poſteaquam ex temporis interuallo, memoratas ab cauſas beneficia eccleſiis oblata ceſſabant, et exinde aerarium eccleſiaſticum diminueretur, nec ad reparationem aedium ſacrarum ſufficeret, neceſſario onus ad illos reduntabat, qui ex eccleſiis quosdam percipiebant reditus. Si enim in eccleſia eſt certa portio, ſeu certi reditus ad fabricam ipſius deputati, iique ſufficientes, Clerici vero eam percipiunt, nihil tam naturale eſt, quam quod omne id impendunt ad conſeruationem rei, ſine qua ipſi eſſe non poſſunt. Quare Alexander III. d) Lexouienſ. Epiſcopo reſcripſit: De his, qui paroeciales eccleſias habent, duximus reſpondendum, quod ad reparationem et inſtitutionem eccle-

ſiarum

c) C. 4 diſt. 89.
d) c. 4. X. de eccleſiis aedificandis vel reparandis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0021-2

ſiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quae ſunt ipſius eccleſiae, ſi eis ſuperſint, conferre, vt eorum exemplo caeteri inuitentur. Quod ſi vero eccleſiae earumque ſacerdotes tanta laborant inopia, Concilium Tridentinum [e]) addita noua prouiſione, Alexandri reſcriptum innouauit: Parochiales eccleſias ex fructibus, et prouentibus, et quibuscunque ad easdem eccleſias quomodocunque pertinentibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis eccleſiis prouenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos, omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacunque appellatione, exemtione et contradictione remota. Obligatio igitur Parochianorum ſubſidiaria eſt, eum ſcilicet in euentum, ſi aerarium eccleſiaſticum tanta laborat inopia, vt ſumtus ad neceſſariam refectionem ex illo peti nequeant. Ita tamen etiam noſtris temporibus eccleſiis proſpicitur, ſi enim ſumtus et impenſae maximam partem aerarii conſumerent, tunc etiam parochiani in commune commodum conferre tenentur. Si enim parochianis verbum Dei praedicatur et ſacramenta in animae tranquillitatem et ſalutem aeternam adminiſtrantur, neceſſe eſt, vt religionis amore ducti, omnem nauent operam, vt mediis iis vtantur, quibus finem propoſitum conſequi poſſunt. Diſponunt leges Saxonicae ea de re clarius in Ordinatione Eccleſiaſtica: [f]) verbis

*Die Pfarrkirchen, Pfarrhäuſer und Kirchnereyen ſollen nach Gelegenheit jedes Orts ſoviel möglich, von der Kirchen Einkommen erbauet werden, wo aber daſſelbe füglich nicht geſchehen könnte, ſoll von denen Eingepfarrten, ob ſie gleich nicht unter einer, ſondern vielen Herſchaften geſeſſen, eine gemeine Anlage zu ſolchen Bau gemachet, darzu ſie auch von ihren Erb-Herren ernſtlich und unweigerlich ſollen gehalten werden.*

e) Seſſ. 21. de reformat. c. 7.
f) articul. 32.

*Damit*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-799678-p0022-7

*Damit aber die Kirchen nicht zu viel beſchweret, wenn etwas an Kirchen, Schulen oder Pfarren zu bauen vorfällt, ſondern in einen ſteten Vermögen ſeyn und bleiben mögen, ſo ſoll für allen Dingen der Superintendens und Collator, wenn ein fürnehmer Bau vonnöthen iſt, den Kirchen Vorrath erwegen, und wieviel davon zum Bau gebrauchet werden ſoll, ordnen und ſchlieſsen; die Eingepfarrten aber Roſs und Hand-Arbeit darzu leiſten, und was von deme, ſo von der Kirchen, wie obgemeldet, verordnet, nicht reichet, und man mehr zum Bau haben muſs, daſs ſollen ſie durch eine gemeine Anlage einbringen etc.* Addit. Decret. Synodal. g)

*Weiln es aber in allewege billig, daſs Kirchen und Schul-Diener mit guter Wohnung verſehen ſeyn: So iſt unſer Befehlig, wenn die Kirche es füglich nicht ertragen kann, daſs hinführo die GerichtsHerren die Eingepfarrten dahin mit Ernſt anhalten, damit ſie durch eine allgemeine Anlage, auch Leiſtung der Hand- und Pferde-Dienſte, die Pfarr- und Schul-Wohnungen wiederum anrichten, welche, wenn ſie richtig übergeben werden, und es anders nicht hergebracht, die Pfarrer und Schul-Diener in baulichen Weſen, laut der Generalien zu erhalten ſchuldig ſeyn.*

